

Universitätsbibliothek Wuppertal

Omnia Divini Platonis Opera

Plato

Basileae, 1551

Dialogus de philosophia, vel amatores

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-245](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-245)

PLATONIS DIALOGVS DE PHI-

LOSOPHIA, VEL AMATORES.

SOCRATES.

DIONYSII Grammatici ludum ingressus iuuenes quosdam uidi honesta in
dole, claris ortos parentibus, cumq; ijs una eorum etiam familiares. Aderat
autem duo quidam adolescentuli inuicem contendentes, quæ uero esset cō
tentio, haud satis aduerteram. Veruntamen de Anaxagora uel Oenopide
disceptare uidebantur, circulos describentes, & quasdam spheræ inclinatio
nes depingentes cubito innixi & intēti admodum. Ego autem alterius illorum amicū
iuxta quem sedebam, cubito tangens, interrogauī quid ita cōtenderent adolescentes, &
num magnum quiddam esset & pulchrum, in quo tantum studium ponerent. Tum ille,
quid inquit magnum & pulchrum? Nugantur enim de sublimibus quædam & philoso
phantes garrunt. Huius ego responsum admiratus, ô adolescens inquā, an turpe tibi phi
losophari uidetur? cur ue tam acerbe respōdes? Alter uero, iuxta enim assidebat æmulus
quidam istius, cum & me interrogantem, & respondentem illum audisset, non expedit ti
bi Socrates inquit, interrogare hunc an turpe existimet esse philosophiā, nec ne. An non
uides ipsum in tumiditate quadam & saturitate atq; somnolentia uniuersam atate egisse,
ut credas aliud quicquam eum tibi responsurū, quàm quod turpe sit philosophia? Erat
autem iste in musica eruditus, alter autē quem carpebat, in gymnastica. Videbaturq; mi
hi oportere eum quem prius interrogaueram, missum facere, quod agendo potius quàm
disputando exercitatus haberi uelle uideretur. Interrogandū autem censui illum, qui sa
pientior uideri uolebat, ut si qua possem utilitatē reportarem. Dixi igitur ad eum, in com
muni me istoc proposuisse: quod si putas melius hoc te responsurū, illud idem te nunc in
terrogo, utrum uideatur philosophari pulchrum esse an secus? Hæc ferè cum diceremus,
audierunt adolescentes, atq; missa ea quæ inter ipsos erat contentione, ad ea quæ differe
bamus audienda seipsos silentio parabant. At amatoribus quid acciderit, nescio: Ipse cer
te obstupui. Semper enim ad noua ac pulchra stupefco. Videbatur itaq; mihi alter me nō
minus certare. Respondit autem ille mihi, & ualde quidem ambitiose. Si quando ô So
crates, philosophari turpe esse ducerem, neque me hominem putarem, neq; quemuis a
ium sic affectum. Innuens autem in æmulū dicebat hæc ea uoce, ut adolescentes amassii
exaudire possent. Hic ego, pulchrum igitur tibi philosophari uidetur? & maxime quidē,
inquit ille. Quid ergo, inquam, num uidetur tibi fieri posse, ut norit quis turpe ne sit ali
quid an pulchrum, nisi prius quid ipsum sit norit? Non. Nosti igitur inquam quod est ali
quid philosophari? Noui equidē. Quid est? Quid aliud quàm iuxta Solonē? Dicebat e
nim alicubi Solo: Discenti assidue multa, senecta uenit. Et mihi quidem uidetur semper
sic oportere aliquid discere eum hominē, qui philosophus futurus sit, siue iuuenis, siue se
nex sit, ut in uita quam plurima discat. Atque is primo uisus est mihi aliquid dixisse. Dein
de mecum reputans, interrogauī, num ei philosophia polymathia, idem quod multa di
scere uideretur. Et ille omnino inquit. Existimas inquam pulchrum aliquid solum esse
philosophiā, uel etiam bonum? Et bonum inquit. Vtrum philosophiæ id propriū facis,
an etiam alijs eodem pacto tribuis: ut uerbi gratia, studium gymnasticæ, non modo pul
chrum esse, sed etiam bonum? Tunc ille ludens duo protulit. Aduersus hunc, inquit, di
co, quod neutrum sit: aduersus autem te ô Socrates, & pulchrum & bonum simul esse fa
teor. Ergo in gymnasiis etiam multū laborem existimas esse gymnasticæ studium? Et ma
xime quidem inquit ille, quemadmodū in philosophando multa discere, philosophiā pu
to. Ego uero credis inquam, gymnasticæ studiosos aliquid aliud appetere, quàm ut eorū
corpora bene se habeant? Id ipsum inquit. Num multi labores bonam corporis habitudi
nem efficiunt? Quonam pacto, inquit ille, ex paucis laboribus robustū corpus fieri pos
sit? Hic mihi uisus est gymnasticus ille prouocandus esse, qui mihi peritus gymnasticæ au
xilium ferret. Illū igitur percontatus sum. Quid uir optime isto loquente tu taces? Num
& tibi uidentur homines è multis potius laboribus quàm temperatis robur acquirere?
Equidem ô Socrates, ego illud quod dici solet uideri uideor, nempe ex moderatis cor

Ordo qua
stionū ana
lyticarū: nō
scietur qua
le, nisi scia
tur quid sit:
neque quid
sit, si ignore
tur an sit. Pri
ma definitio
philosophie
ex Solone

Cōfutatio à
ratione alio
rū studiorū

pus bene se habere. Vnde, inquam, uides? non infomnem potius & nauseabundum uirum, ceruicēq; molli & curis extenuata reddunt? Et quum hæc annuisset, delectati adolescenterum riserunt. Alter autem ille erubuit. Tunc ego, quid in igitur? cōcedis ne, nec paruos neq; magnos labores habitudinem bonam corporis efficere, sed moderatos? an nobis qui duo in eadem sententia sumus, repugnas? Libenter equidem, inquit, tibi repugnarem, atq; sat scio aduersus eum ualere, id quod proposui defendere, etiam si causam haberem minus ualidam. Nullius enim precij est. Verum tecum haud decet insolentius contendere: confiteor igitur, nō multas, sed temperatas exercitationes bonum corporis habitum hominibus præstare. Cibi autem, inquam, multi, an moderati? Et cibi, ait. Præterea compuli eum ut concederet reliqua omnia quæ circa corpus uersant, temperata quidem prodesse quamplurimum, pauca uero uel nimia nihil. Et ille moderata iuuare confessus est. At quæ ad animam spectant, inquam, cum moderata adhibentur, cōducunt ne magis an immoderata? Moderata. Disciplinæ autem nōne ex ijs sunt quæ animæ adhibentur & conferunt? Consensit. Ex disciplinis itaq; quæ temperatæ sunt, non quæ multæ, utilitatem afferunt? Concessit. Quemnam ergo interrogare merito conueniat, quales sint labores atq; cibi corporibus accommodi? In hoc tres arbitror conuenimus, medicum uidelicet, uel pædotribam interrogandum. Quem uero de spargendis seminibus, quantum sit cōmodum? Agricola consentaneum est. At uero de semente & plantatione disciplinarum in anima, quemnam merito percontemur, quales quantæ ue sufficiant? Hic cum ambiguitatis pleni essemus, ego iocans inquam, Vultis ne postquam nos in hoc ambigui sumus, ab ijs adolescentibus isthuc quæramus? An forsitan erubescimus, quemadmodū procos inducit Homerus, cum nollent alium quenquam præter se arcum intendere? Sed cū grauius ferre uiderentur eum sermonem, alia quadam uia inuestigare aggressus. Qualia, inquam, esse debere conijciemus quæ oportet philosophum discere, cum neq; omnia, neq; multa sequi debeat? Suscipiens autē sapientior ille pulcherrimas ait, atq; maxime cōgruas animo disciplinas eas esse, ex quibus maximā quis gloriam in philosophia consequatur: maximam uero gloriam adipisci si omnium artium peritus esse uideat: aut si minus omnium, plurimarū saltem, earumq; præsertim quæ æstimatione sunt dignæ, ea præ cæteris discēs, quæ liberos homines decet, quæ ue intelligētis ratione, non manu ministerio conficiuntur. Tum ego: Sic, inquam, dicis, quemadmodum in opificijs contingit? ubi opificem quidem quinq; ad summū, aut sex minis emerēs, architectum uero ne drachmarū quidem decem milibus: nam per omnem Græciam rari admodū reperiunt: nunquid tale aliquid ais? Ille id audiens assensus id ipsum se dicere confessus est. Eum mox interrogabā, utrum possibile esset duas eundem duntaxat artes hoc pacto, nedum permultas magnasq; percipere. Et ille, Ne ita me dicere putes, inquit, o Socrates, quasi philosophantē oporteat singulas artes ad summū prosequi, quemadmodū artificē quemlibet arte sua instructū: uerū ut liberum uirū eruditumq; decet, ut potis sit percipere quæ ab unoquoq; artifice proferuntur, atq; id præ cæteris qui tū adsunt: præterea ita sententiā suam interponere, ut semper ipse elegantissimus ac sapientissimus omnium in unoquoq; eorum quod solet ex arte qualibet dici, fieriq; appareat. Atq; ego (adhuc enim quorsum tenderet, ambigebā) intelligone, inquā, qualem dicis esse uirū philosophū? Videris enim mihi talem dicere, quales in certamine sunt pentathli, cursoribus uel peltastis iaculatoribus collati. Etenim illi cursoribus uel peltastis in eorū certaminibus inferiores sunt, secundumq; locū tenent, reliquorum uero athletarū primi atq; uictores. Tale aliquid forte dicis philosophiæ studiū conferre philosophis, ut ab ijs qui in quauis arte supremi sunt, in eadē arte intelligētia quidē superent, secundūq; locū teneant, reliquos uero antecedāt, ut philosophus in singulis facultatibus secundæ cuiusdā homo sortis existat. Eiusdē uideris philosophantē uirū ostendere. Recte, inquit, o Socrates, accipis de philosopho dicta, qui eum pentathlo comparaueris. Est enim proculdubio talis, ut nulli negotio seruire penitus uelit, neq; in aliqua re usq; ad summum elaborare, ne propter unius exactam diligentiam in alijs omnibus instar manuarij cuiusdam consenscat consumaturq; sed omnia mediocriter temperateq; attingat. Post hanc responsionē cupiens planius nosse quidnam diceret, bonos, inquā, uiros, utiles ne an inutiles esse censet? Vtiles, inquit, o Socrates. Nōne si boni utiles sunt, inquam, mali inutiles erunt? Consensit. Quid autem philosophos uiros utiles uel inutiles putas

Secūda philosophiæ de finitio
Declaratio definitionis

Architecti rari admodum

Ad hanc illam
scimus si tu quid
nihilum enim est
suel tu uel ex
ad curā in leuissim
Nemini dicat
prius quid sit
mittere: Cuius
non erit locum
sunt. Confessio
fieri. Quid ego
quid laber inquit
hunc modum. Cui
iplos bonos boni
ces ad hanc philo
Sunt. Cuius
est esse scire in
les quam dicunt
circa artes studere
aliud quiddam
ri qui artibus
si hoc respondeat
an alij. Qui melius
coercere uolunt. Qu
Quid autem? Vt
los, an alia? Eadem
mos reddet homin
nat: Prolixia inquit
Ja. Eam equi præ
ita est, quæ in
ria: Prolixia. An
scienza re: re caligat
que uero uim
radō dicitur. Cui
ignorantia quibus
bonos esse eman
canis ferit. Confessio
miner dicitur. Cui
no est. An
sperat. Eadem
dem inquit
nisi. Quæ
grosse p
Quædam
Atq; hanc
tū, quod
gare g
Quædam
tunc
la facit
in præ
sistunt
quædam

putas? Ad hæc ille maxime omnium utiles esse philosophos asseueravit. Age igitur, dignoscamus si tu quidē uera dicis, quomodo utiles nobis sunt isti secundæ sortis homines. Manifestum enim est quod unoquoque artifice inferior est philosophus. Annuat. Age, inquā, si uel tu uel ex amicis aliquis tibi charissimus ægrotaret, in quo sanādo studiū ponas, utrum ad curā ualeitudinis philosophū illū secundariū induceres, an medicū assumeres? Vtrūque. Ne mihi dicas utrumque, sed utrum potius? Nemo, inquit, ambigat, medicum & magis & prius. quid autē in nauī fluctibus agitata, utrum te & tua gubernatori an philosopho committeres? Gubernatori, inquit. Et in reliquis omnibus quātisper artifex adest, philosopho non erit locus? Apparet, inquit. Philosophus igitur tunc inutilis est, cum artifices non de sunt. Confessi uero sumus bonos quidē utiles esse, malos inuitiles. Coactus est denique confiteri. Quid ergo post hæc abs te petam? An forsitan inhumanū est, ultra perquirere? Quicquid lubet, inquit. Nihil aliud peto, nisi ut iterū concedantur iam dicta, habent autē se in hunc modum. Confessi sumus philosophiam bonam esse, & extare philosophos, atque eos ipsos bonos, bonos autē utiles, malos contra inuitiles. Deinde concessimus, dum artifices adsunt, philosophos inuitiles esse, & artifices adesse semper. Nonne concessa hæc sunt? Sunt. Confitemur igitur ut uidetur secundum tuam orationem, siquidem philosophari est esse scientem in artibus eo pacto quo tu idem dixisti, malos philosophos esse, & inuitiles, quamdiu inter homines artes sint. Verum non ita habet o amice. Neque philosophari circa artes studiose uersari est, nec multis negocijs incumbere, aut multa perdiscere, sed aliud quiddam: siquidem existimo & absurdum hoc esse, & mechanicos rectius appellari, qui artibus incumbunt. Hoc autem modo planius intelligemus, an uera dicam, necne, si hoc respondeas. Quinam equos recte domare norunt? utrum qui illos meliores reddunt, an alij? Qui meliores. Quid autem canes, num qui eos meliores reddere, idem & recte coercere norunt? Omnino. Eadem ergo ars & meliores reddit, & recte coercet? Eadem. Quid autem? Vtrum quæ & meliores facit, & recte coercet, eadē discernit bonos & malos, an alia? Eadem, inquit. Vis igitur, inquā, idem de hominibus constituamus, quæ optimos reddat homines, eadem sit quæ & recte cohibet, & qui boni sint, qui uel mali, discernat? Prorsus, inquit. Nonne quæcumque unū, eadem & multos: & quæ multos & unum? Ita. Et in equis præterea cæterisque omnibus eodem modo? Eodem, inquit. Quamā scientia est, quæ intemperantes & legum transgressores in ciuitate recte punit? nonne iudicia? Prorsus. An uocas iustitiam aliam quandam præter eam? Nullam, inquit. Nonne quæ scientia recte castigant & puniunt, eadem bonos & malos discernunt? Eadem. Quicumque uero unum norit, plures quoque cognoscet? Cognoscet. At qui multos ignorat, ignorabit & unum? Consensit. Si ergo equus existēs, bonos ac malos equos ignoret, seipsum ignorabit, qualis nam sit? Concessit. Et si bos cum sit, haud nouerit qui sint boni aut mali boues, sese etiam qualis ipse sit, ignoret necesse est? Ita est, inquit. Eodem quoque modo si canis fuerit? Confessus est. Nunc uero cum homo quispiam existens, ignoret bonos homines & malos, nonne suis ipsius etiā ignarus erit, bonus ne sit an malus, quando & ipse homo est? Annuat. Seipsum ignorare, sapere an desipere est? Desipere. Seipsum itaque nosse, sapere est? Est, inquit. Hoc igitur ut uideat, & inscriptio quæ in Delphis est, præcipit, Prudentiam scilicet & iustitiam colere. Apparet. Hac eadem & recte cohibere scimus. Annuat. Qua ergo recte cohibere scimus, ea utique iustitia est: qua uero & nos ipsos & alios dignoscere possumus, prudentia. Videtur. Eadem igitur est iustitia atque prudentia. Apparet. Quinetiam ciuitates tunc optime gubernantur, quum iniusti dant poenas. Vera narras. Atque hæc ciuili scientia est. Est, inquit. Quid uero quotiens uir unus recte ciuitatem instituit, quod nomen illi conueniet, nonne tyranni & regis? Annuat. Nonne tyrannica aut regia arte gubernat. Immo. Hæ itaque facultates eadem cum superioribus sunt. Videntur. Quid uero quum uir unus domum recte disponit, quod huic nomen maxime congruit? nonne oconomus ac dominus? Conuenit. Vtrum & iste iustitia bene regit familiam, an alia facultate? Iustitia. Idem est igitur ut apparet, rex, tyrannus, ciuili, oconomus, dominus, prudens, iustus: atque una quoque ars, regia, tyrannica, ciuili, dominica, oconomica, iustitia atque prudentia. Videtur. Quid itaque philosopho uiro, quotiens medicus de ægrotantibus quisquam dixerit, turpe est non posse dicta illius assequi aut huc aliquid afferre, quasi aliorum artificum quisquam: cumque aut iudex aut alius quispiam eorum quos paulo ante re-

Definitionē
inductione
colligit

Philosophia
est qua quis
quæ se & alios
boni ne
an mali sint,
cognoscit

Pulchra rationes
ab eodem & diuerso,
& contrario sumptæ

Declaratio
oraculi Delphici

tulimus, non absurdum in ijs nec assequi dicta, neq; quicquam cōferre posse: Quid ni esset absurdum ō Socrates, in tantis rebus nihil habere quod consulas? Vtrum igitur, in q̄, & circa hęc philosophum ut pentathlum esse oportere dicimus, & secundas tenentem inutilem esse, quamdiu aliquis illorum est: uel primum quidem ipsum oportere domum suam nulli administrandam præbere, neq; secundas in hoc partes tenere, sed ex seipso omnia castigare, recte iudicantem, si quidem familiam suam recte administrat: Assentiebatur ille mihi. Atq; ego addidī: Tum si aut amicus huic aliquis uitæ suæ rationem, aut ciuitas quicquam discernendum aut iudicandum committat, num turpe ō amice sit secūdas eum in his tenere, aut tertias, neq; duces potius existere? Ita mihi uidetur, inquit. Absit igitur ō uir optime, ut philosophari sit plurima discere, artesq; tractare. Cum ista dixisset, sapiens quidem ille ex antedictis rubore affectus tacuit. Inductus autē affirmauit sic esse, & ceteri omnes dicta collaudarunt.

ARGVMENTVM MARSILII IN LIBRVM QVI THEAGES
INSCRIBITVR, VEL DE SAPIENTIA.

DISTINGVITVR in hoc dialogo Sapiētia, & ultimum distinctionis membrum sic inuestigandum assumitur, ut quo pacto acquiratur ab hominibus, pateat. Prima partitione Sapiētia duplex dicitur. Vna absoluta, cōditionalis altera. Absoluta, quæ simpliciter absq; additiōe aliqua sapiētia nominatur. Cōditionalis, quæ non simpliciter sapiētia, sed sapiētia quædam dicta est. Illa sic definitur. Cognitio earum rerum de quibus haberi scientia potest. Habetur autem scientia de ijs quæ semper eadem, & eodem modo sunt: huiusmodi sunt summa rerum principia, & æternæ rerum omnium rationes: hæc autem diuina dicuntur, quo fit ut sapiētia sit diuinarum rerum scientia: quæ quidem absoluta sapiētia est. Cōditionalis uero omnibus artibus & facultatibus est communis. Nam summitas cuiusq; artis sapiētia quædam uocatur, ut sapiētia gubernatoria, sapiētia aurigaria, sapiētia militaris. Ex omnibus autem quæ cum additione sapiētia nuncupantur, præcipua est, quæ ceteris ut ministris utitur, cuiusmodi ciuilem sapiētia est. Quæ quidem facultas commune ciuitatis & gentiū bonum coniectans, definitur. Hæc tum ciuilem tum regia disciplina uocatur. Cuius subiectum ciuitas est: finis, commune bonum: ministræ, artes omnes. Officia duo, leges condere, & conditas exequi. Illud per prudentiam nomotheticam, hoc per iustitiam legalem & iudicariam agit. Verum quo pacto quis ciuilem sapiētiā nāscatur, in plurimis eius disputationibus Plato dubitat: & in præsentī Theage, utrum ciuiles homines, an sophistæ, an contemplatiui duntaxat philosophi eam doceant. Quod à ciuilibus uiris, aut sophistis, aut soli cōtemplationi deditis discatur, in Menone & hic quodāmodo negat, quod illi ne filios quidem suos unquam docuerint, quod isti rationem boni non habeant, quod hi rerum humanarum experti minime sint. Restat igitur, ut hæc aut à philosophis & contemplandi & agendi apprime peritis percipiatur, aut diuina sorte contingat. Illi nusquam reperiuntur. Vnde in Menone & in Theage diuino munere fieri asserit, ut in animos ciuium temperatos Dei prouidentia boni ipsius intelligentiam & leges ad id ducentes infundat. Quam sane notionē hic ciuilem sapiētiā, in Menone propriori uocabulo uaticinium quoddā nominat, ciuilesq; uiros furentibus comparat. Sæpe etiā ait, nunquam à malis genus hominum cessaturum, nisi aut legitimi philosophi dominantur, aut ij qui gubernant rempub. diuina quadam sorte philosophentur. Hoc autē libro cum Socrates in sua membra sapiētiā distinxisset, & hanc ciuilem sapiētiā sub quadam ironiæ specie, nec à ciuilibus uiris, nec à se ut à philosopho cōtemplationi dedito Theagem adipisci posse dixisset, subiunxit tentādā esse uim dæmonis, & deniq; uoluntatē dei precibus exorandā, quasi illinc ista discantur, & dei prouidentia per medios spiritus, sæpe hominibus agendorū oracula pandat. Eos autē ministros, qui dei iussu bonorum ciuium & legitimorū principum mentes ad bene gubernandū illumināt, Dionysius Areopagita principatus nominat. Effet hic fortasse de dæmone Socratis disputandum, sed argumenti breuitas prohibet. Quinetiam Maximus Tyrius, & Hermias, & Apuleius de hoc abunde differunt. Inducit autem hic tres Plato personas, Demodocum ciuem Atheniensem, unā cum filio suo Theage sapiētiā affectante, & Socratem. Incipit uero à Demodoci petitione dialogus.